



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XIII. De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab excommunicato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T V L V S XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI RENUNCIAVIT EPISCOPATUI, VEL AB EXCOMMUNICATO.

Episcopatu renuntiare duplici modo potest aliquis, renunciando scilicet loco tantum, curæ scilicet, officio, & administrationi Episcopali, retentâ tamen dignitate Episcopali, quæ, sicuti jus administrandi loco adhæret, ita personæ ex consecratione Episcopali adhæret. Alio modo renunciari potest Episcopatu, loco scilicet & ordini, sive executioni ordinis Episcopalis renunciando, uti sumitur ex *c. 1. h. t.* & ex *c. ad administrationem 9. de renunc.* Priore modo, si fiat renunciatio, quo modo ordinariè fieri solèr, validè & licitè cum licentia Episcopi modò existentis, conferre ordines tam majores, quàm minores possunt, qui taliter renunciaverunt, quia hæc renunciatio tantum facit, ut non amplius taliter renuncians proprios subditos habeat, erga quos officium suum Episcopale exercere possit: Si verò posteriore modo facta fuit renunciatio, primam quidem tonsuram, & minores ordines, cum licentia ordinandorum ordinarii conferre possunt, non autem ma-

jores, prout ex relato *c. 1. h. t.* desumitur; cum enim minorum ordinum collatio non sit ita proprius actus Episcopalis, ut non possit ab alio non Episcopo conferri; collatio autem majorum ordinum sit ita proprius actus Episcopalis, ut ordinariè à nemine nisi Episcopo conferri possit, consequenter qui exercitio muneris Episcopalis renuntiavit, non potest majores conferre, potest autem minores, si aliqui ad hos ordines ordinandi ad illum dimittantur. Ordinari autem, si scienter vel per culpam mortalem ordines majores à tali Episcopo, qui loco & exercitio Episcopali renuntiavit, acceperunt, suorum ordinum sic acceptorum executionem non habent, donec cum illis fuerit dispensatum; à Pontifice quidem, si notorium delictum sit, à proprio verò Episcopo, si delictum occultum sit, aut ignorantia, non tamen crassa aut supina, intervenerit; quod idem etiam statuitur in *c. 2. h. t. de ordinatis ab excommunicato Episcopo* (non tolerato) *suspensio vel interdicto est.*

